



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Lapis Philosophicus, Et Aurum Potabile, Eleemosyna

Foullon, Jean E.

Leodii, 1667

3. Quid Est Æternitas?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51728](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51728)

## 3. QUID EST ÆTERNITAS?

**I**NITIMUM sine fine: finis semper incipiens: vitarum humanarum interminatus terminus: futurum semper præfens, & futurum: fluentibus assiduè partibus permanens totum. Hoc nostra est æternitas, quæ mortem excipit. Nam Dei æternitas, est punctum immobile, cui neque initium, nec finis est: ex quo evolvuntur initia omnia, & fines. Æternitas nostra est, semper fore: Dei æternitas, semper esse.

*Numerus dierum hominum, ut multum, centum anni: quasi gutta aque maris deputati sunt, & sicut calculus arena, sic exigui anni in die ævi. Eccles. c. 18.*

*Quidquid vis, dicis de æternitate: ideo autem quidquid vis dicis, quia quidquid dicis, minus dicis. Sed ideo necesse est aliquid*

F 3

dicas,

dicas, ut sit unde cogites, quod non potest dici. Aug. in Psal. 61.

4. QUID EST INFÆLIX  
æternitas?

**M**ORS numquam moritura  
vita semper moriens: cala-  
mitatum omnigenarum horribi-  
lis immortalitas: pœna sensûs  
omnis interni, & externi, num-  
quam defitura: pœna immensi  
damni, ex summi boni irreparabili  
jacturâ.

*Fumus tormentorum eorum ascendet in  
secula seculorum: nec habent requiem die  
ac nocte. Apoc. c. 14. Pars illorum  
erit in stagno ardenti igne, & sulphure:  
hec est mors secunda. Apoc. c. 21.*

*Quia non videns placuisti tibi, displice-  
bis & mihi, & tibi; mihi, cùm judicabe-  
ris; tibi, cùm ardebis. In Ps. 49.*

*Qui dulcedinem sapientie & veritatis  
utrumque sentire ceperunt, noverint quod  
dico;*